



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Caput 2. De Præsentatione Beatissimæ Virginis in templo, unáque
laudibus ipsius Immaculatæ Conceptionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

potentes, & imbecilles, magisque deficiebant viribus. Mirata sum vehementer, videndo istam ferociam diabolorum, & intellexi rem hanc esse quandam figuram, quã representabatur id, quod accidit in mysterio purissimæ Conceptionis Domine Nostræ.

Post hoc redij ad contemplandum mysterium, cui mea anima erat intenta, & vidi hanc Sacratissimam Dominam prædicto modo discedentem, cum sanctissimo suo Patre, comitante eos, ipsisque interueniente magnâ multitudine Angelorum, qui procedebant bini longis Ordinibus, & omnes erant speciosissimi ac fortissimi, armati splendidissimis armis, gestantes in humeris hastas. Hi Domini antecede-

bant istam Reginam, Filiam, & Sponsam magis Regis, ac Domini Majestatis. Sequebantur autem eandem alij multi in specie Principum, & gravissimorum Dominorum, ac Magnatum, omnes candidissimis armis instructi, portantes diversa symbola virtutis ac fortitudinis in suis humeris. Hoc modo, & cum hac tanta, tamque sublimi Majestate, quæ non potest verbis exponi, vel explicari, progrediebatur ista Domina, sustentata brachijs sui Patris, quam abeuntem vidi, donec paulatim, me magnopere mirante ac stupente, meo eriperetur conspectui illud sacrum mysterium. Benedictus sit DEUS, in omnibus operibus suis! Amen.

CAPVT II.

De Præsentatione Beatissimæ Virginis in templo, unâque laudibus ipsius Immaculatæ Conceptionis.

§ I.

Postquam aduenisset mensis November, triduo vel quadriduo, ante festum Beatissimæ Virginis in Templo Præsentatæ, ferebam illam semper in meæ animæ oculis, instar triennis puellulæ, sentiens in meo corde tam ardentem amorẽ erga istam sanctissimam Virginem, ut illum non possem dissimulare. Cum ergo adesset ipse dies festus, manẽ tempore meæ recollectionis, inspiravit mihi Dominus novum quendam modum Orationis, quẽ à multis jam annis non usurpaveram, ut meditando ac discurrendo mihi in memoriam revocarem gloriosam Sanctam Annam, Matrem Domine Nostræ, & Sanctum Joachimum ejus Patrem, quos mihi imaginabar sollicitos ac diligentes obire suam domum, ut providerent necessaria pro præsentanda sua sanctissima Filia in Templo, quam animo constanti & generoso ac obfirmatissimo volebant offerre,

atque dedicare obsequio sui DEI ac Domini, à quo ipsis fuerat miraculosè donata; erantq; parati, ad majorem ipsius gloriam, carere ingenti solatio, quod capiebant ex convictu talis Filie, quam merito intimè diligebant. Agnoscebam in istis gloriosis Sanctis, hinc firmum propositum, inde verò magnam difficultatem ac dolorem, propter jacturam boni, quo privabantur, ob sanctissimæ Filie suæ absentiam; & ista expendens, laudabam ac benedicebam eorum fortitudinem, & constantiam, unâque vehementer condolebam, & compatiebar ipsorum afflictioni, multò verò magis, quando deinde consideravi redeuntes illos gloriosos Sanctos solos, relicta sanctissimâ Virgine in Templo, non absq; grandi cordium suorum dolore, quapropter incepi lachrymari. Tunc mihi dixit Dominus: Sufficit, cessa, nec ultra progrediaris. *Volebat enim eam elevare à solito ipsius modo orandi, sicut consueverat.* Statim cessavi, & mansi satis diu abstracta, deinde sustuli oculos animæ, & vidi sanctissimam Virginem, in statura triennis puel-

puellæ, circumstantibus ab Angelis, qui illam sustentabant in aëre, & duo ex ipsis tenebant coronam pretiosissimam, impositam ejus capiti. Erat cooperta pallio exornato pretiosis lapidibus, fulgore superantibus stellas coeli, & habebat manus quàm devotissimè compositas, atque tota adeò resplendebat, & erat plena majestate, ut post se traheret meam animam. Contemplata sum illam cum magno solatio, vehementerque flagrans ipsius amore. Derepente autem vidi illos sanctos Angelos, accedentes ad sacratissimam Virginem, qui apprehenso utrinque ejus pallio, simulaverunt se velle cum ipsa abire, quos ego rogavi, ut mihi illam aliquantò diutius concederent, eò quòd exultarem, me exiguo fuisse tempore fruitam illius conspectu. Permiserunt ipsam adhuc aliquamdiu subsistere, & postea abduxerunt; quos abeuntes, meum cor sequebatur. Non potui illius multis diebus oblivisci, cum ingenti meæ animæ solatio.

§. II.

Alio die Præsentatæ Deiparæ, vidi in spiritu Sanctissimam Virginem Dominam nostram, quasi puellam trimulam, comitantibus ipsam multis Angelis, & sancto Archangelo Gabriele. Erat formosissima, rapiebatque me ad sui contemplationem. Oculi ipsius erant cæsi, & capilitium quasi aureum, habebat calceamenta pellucida, tectis integrè pedibus. Accedens ad me, ostendit mihi præinctorium, quod gerebat, dixitque mihi: Vide, Amica, quid tibi feram, omnia enim sunt tua. Et quamvis ego essem turbata, ac reluctarer, tandem aspexi, quid esset. Ferebat in præinctorio pretiosum quendam torquem, confectum ex auro & gemmis, aliisque cimelijs magni valoris, nec non coronam auream, quæ omnia exponebat, ostendendo mihi illa, sibi que ipsi imponendo, & sic apparuit elegantior, quàm antè, ac dixit mihi: Amica, omnia ista tua sunt, & Dominus illa tibi conservat, donec adveniat tempus, ut ijs fruaris. Fui attonita, dum contemplerer illius Majestatem, & quasi absorpta, visâ tantâ ma-

gnificentia. Rogavi ipsam, ut mihi liceret osculari sacratissimos suos pedes: Tum illam apprehenderunt duo Angeli, tanquàm parvulam, infra brachia, & elevaverunt ad meum lectum, ubi illos sum osculata, & ipsius Majestas se modicum inclinavit, meque est amplexata: rogavi ipsam, ut me adjuvaret, plurimumque DEO commendaret, quod se facturam mihi promissit. Postea mansi abalienata à sensibus, & non vidi amplius meam Dominam.

Biduo post, ante diem, qui Deiparæ partum expectanti est sacer, vidi rursus eandem sanctissimam Virginem, quæ mihi peramanter dixit: Noveris, Amica mea, quòd à die meæ Præsentationis in Templo, usque ad diem Incarnationis mei Sanctissimi Filij, me semper exercuerim continuâ oratione ac meditatione Divinorum mysteriorum ac magnalium DEI, amando ipsum omnibus meis viribus, contemplan-doque illum assidue, & nec ad momentum ab eo recedendo; continuè quoque cor meum, & anima mea ardentissime desiderabat adventum Filij DEI in mundum, ut esset Redemptor ac Reparator generis humani. Et cum recenseret suas istas virtutes, atque prærogativas, manifestavit mihi simul Divinissimam devotionem, quâ illas exercebat. Habui magnum solatium, vehementerque obstupui, cognoscendo aliquantum, ac intelligendo sublimitatem celestis & altissimæ contemplationis, cui dedita fuerat ista Celsissima Domina.

§. III.

Alio die Præsentatæ Beatissimæ Virginis (anno 1622) agens cum DEO, more solito, vidi Christum Dominum crucifixum, unaque Sanctum Patriarcham Joachimum, Patrem DEIPARÆ, qui juxta se habebat suam sanctissimam Filiam, Dominam nostram, puellam triennem, stringens ipsius manum quàm reverentissimè & amantissimè, eidemque tenerrimè ablandiens, & sanctissima Pupula similiter erga sanctissimum suum Patrem præ se ferebat magnum amorem, & reverentiâ. Dum contemplerer hoc Mysterium, vidi

diabo-

diabolum, qui aliquantum distabat à Domina Nostra, & quasi volebat ipsam adorari à tergo, ac inferre illi aliquod damnū; quod tamen non poterat, quia erat destituta viribus. Vidi etiam ex Christo Domino crucifixo prodeuntem quandam Divinam virtutem, instar parvæ gratiosissimæ nebulæ, quæ humectabat totam illam sanctissimam Puellam, eandemque reddebat formosissimam, ut adæquaret mille soles, plurimumque illustrabat. Eximia fuit elegantia, bonitas, cæterique Divini thesauri, quos vidi & agnovi in illa sanctissima Domina, ut excedant captum omnis intellectus. Diabolus fugit, ac evanuit. Sanctus autem Patriarcha subito sustulit ad suas ulnas intemeratam Virginem valde reverenter, & amanter, intuebaturque ipsam, & se in ea contemplantur: amplexabatur etiam illam, & osculabatur, compellabatque mille blandis verbis, dicendo ipsi: Filia mea, Domina mea. Et Sanctissima Puella stringebat suis brachijs col-

lum sui sanctissimi Patris, ac amplexabatur ipsum, atque osculabatur cum magna honoris exhibitione: sic illam sanctus Patriarcha tulit ad me, ut ipsam venerarer, & contemplerer. Cum esset apud me, vidi venientes plurimos sanctos Angelos, ac adferentes quoddam pretiosum pallium, quo coopertum sanctum Patriarcham cum sanctissima Pupula Domina nostra, quam gestabat in brachijs, tulerunt ad cælum, cōcinendo eximias laudes istius Dominae, sanctique Patriarchæ: præsertim verò decantabant encomia purissimæ & sanctissimæ Conceptionis Dominae Nostræ, atque hoc modo illam portaverunt quoad usque effugeret meos oculos. *Dictum mihi est, significatum mihi. in hoc Mysterio fuisse, quod puritas Conceptionis Dominae Nostræ, sit attribueda Christi Domini crucifixi virtuti ac meritis, quæ ipsi fuerunt ab eo applicata, quòdque fuerit preservata à lapsu in peccatum originale.*

(e) * * (a)

CAPUT III.

De Annuntiatione Beatissimæ Virginis.

§. I.



Agens cum DEO, in per-
vigilio quodam Festi Sa-
lutatæ DEI paræ, manè
converti oculos animæ
ad unam partem mei cu-
biculi, & conspexi San-
ctissimam Virginem Dominam Nostram,
cum sancto Archangelo Gabriele. Recur-
ri subito ob meos solitos timores ad DE-
UM, quemadmodum consuevi, postulans
ab eo lumen ad me conformandam in om-
nibus sanctæ ipsius voluntati, & cogno-
scendas ejusdem veritates. Non multo
post, sum illam denuò intuita, dixitq; mi-
hi sanctus Angelus: Quid times? quare
turbaris? ne fugias: eâ viâ, quâ cogitas
effugere gratias, quas tibi DEUS præstat,
magis te disponis ad illas consequendas.
Et ego ipsi respondi: Angele sancte, dum

considero ingentes favores, quos mihi
DEUS his diebus exhibet, adeo exceden-
tes meum meritum, timeo, & erubesco.
Sanctus Angelus autem mihi dixit: Timo-
res ac tergiversationes tuæ moderatæ &
convenientes, potius te disponunt pro ob-
tinendis his divinis favoribus: exceden-
tes autem, & iusto majores, tibi præbent
occasionem & materiam exercendæ mor-
tificationis. Si ergo, Sancte Archangele,
ajebam ego, ita est, doce me, quid sit faci-
endum, ut me conformem Divinae volun-
tati. Tum sanctus Archangelus extendit
manum quasi attingendo quàm reveren-
tissimè vestem Sanctissimæ Virginis, quæ
summa cum gravitate, & extraordinaria
modestia atque charitate, mihi dixit: Ego,
quando sanctus hic Angelus venit ad me,
nomine DEI invisendam, die meæ An-
nuntiationis, non fugi: turbata sum ta-
men inculpabiliter, sicut quando Princeps
quæ